


REGIÆ NAVARRÆ,

Cùm V. C. M. JOANNES-ANTONIUS NOLET, Licentiatus Theologus, è Regiâ Scientiarum Academiâ, *PHYSICES EXPERIMENTALIS* Profeſſor à REGE inſtitutus, Lectiones ſuas Oratione ſolemni auſpicaretur die Martis decimâ-quintâ menſis Maii, anno Domini 1753, in Aulâ Majore Collegii,

GRATULATORIUM
CARMEN.



AM cur inſolito reſonant hæc atria plauſu,
Gratantumque undam portis bipatentibus ædes
Accipiunt redeúntque? An reſtaurata novenæ
Templa ſibi ſubeunt, Phœbo comitante, Sorores?
Non ita; Divino mortalis Apolline major
Expectatus adeſt, Sophiæque Antiſtes & idem
Naturæ Genius, dilectus Regibus hoſpes,
Principe diſcipulo clarus, qui funere nuper

E medio incolumis, regni ſpes altera vivit.

Hic vir, hic eſt, tibi quem proprium dixiſſe licebit,
Fortunata domus; jam ſe tibi tradere totum,
Te colere, & laudis conjungere fœdus amabit.

Scilicet hunc inhians Europe ſuſpicit, omnem
Naturam excutere, & cauſas aperire latentes
Egregium, atque adeò tantum decus invida jurè
Pars ſibi quæque trahat; patriæ ſed vincere dignus
Siſtit amor, multâ nequicquam à gente petitum:
Dumque replet totum ſcriptis illuſtribus orbem,
Ipſe ſuos præſens naturæ ab limine cives
Vixdùm introgreſſos adyta ad penetralia ducit.

Quid non ingenti debemus Gallia tota
Carteſio? Ille novam tentare viam auſus, & ævi
Barbarie longâ ſtabiles abolere chimæras
Primus, & humanæ delere opprobria mentis,
Sed quali ancipites moderatur lampade greſſus?
Non reliquos inter ceſſat ſpeculator inanis.
Obſcuris-ve incerta tegit; ſed cuncta ſagaci
Ipſe manu explorat, rimatur & abdita cautus,

Qui dignus tantæ poſſet ſuccedere laudi
Ætas noſtra parit; veſtigia prævius ille
Quà tulit, hic ſequitur; docto experimenta labore
Ingeminans, tandem invitam ſe prodere cogit
Naturam, & notâ graſſatur ſedulus arte.

Hîc quid ego referam, eximiis quæ plurima libris
Evolvit, cæcis abſtruſa arcana latebris,
Atque indeprenſas multâ caligine rerum
Ambages, ſtudiis quæ noſtra faventibus ætas
Miratur, ſeris miranda nepotibus olim?

Illud præcipuè, frictu medicata potenti;
Cur sese gemino stillans de corpore promat
Flammula, seque trahat pellatque refusa vicissim;
Applicitæque virûm serpens per membra coronæ
Ductilis insinuet dolor, obtineatque tenorem,
Explicuit, facilique retexit acumine solers:
Cur-ve procelloso collecta sub æthere nubes,
Fœta igni, tonitruque gravis [non antè repertum
Tempore quod nostro certa experientia monstrat]
Cognatum eliciat ferri mucrone vaporem.
Et jam quod vero affinxit malè credulus error,
Amovet, & justo prudens examine damnat.
At tu, plebs, solitos deponere parce timores;
Demens, quæ nimbos & ineluctabile speras
Posse vel objectâ vitari cuspide fulmen!

Hùc igitur, si quos discendi gloria tangit,
Seu dulci indigenas gremio vos Gallica tellus
Protulit, externos seu mollibus hospita captos
Urbs tenet illecebris, ad publica currite læti
Doctrinæ emporia, & patulos ne spernite fontes.

Hoc nobis, LODOIX, tantum decus asseris author,
Et majus sperare jubes. Qui cernis amico
Lumine Musarum sedes, monimentaque Regum,
Muneraque indulges toti communia Regno;
Illum restituis, vero quem nomine Magnum
Et sua dixerunt, & postera secla loquentur,
Quem-que animo & virtute refers, & amore tuorum.

Hunc ergò studiis complexi & pectore toto,
Quem das ipse, virum, tantæ solemnia lucis,
Acceptumque tibi memores referemus honorem.

Intereà dignis, quà fas est, æmula votis,
Certatim tibi fausta canet NAVARRICA pubes;
Donec, ubi firmata viros perfecerit ætas,
Te grandi celebrare lyrâ, Phœbo auspice, possint.

LUDOVICUS-FRANCISCUS REVERS,
Clericus Constantiensis, è REGIA NAVARRA.

Typis mandetur, die Veneris undecimâ Maii, anno 1753.
FOURNEAU, *Rector.*

Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS, nec-non Academiæ Parisiensis Typographi, in Plateâ Cameracensi.